



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis  
Ecclesiæ**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiæ, 1688**

De Sacramento Ordinis, & ordinandorum qualitatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](#)

## De Sacramento Ordinis.

125

nos cum omnibus Sanctis, & Electis tuis semper  
facias congaudere.

Deus, in cuius miseratione, animæ fidelium re-  
quiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus, hic,  
& ubique, in Christo quiescentibus, da propitius  
veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus absolu-  
ti, tecum sine fine latentur. Per eundem Domi-  
num nostrum Jesum Christum, qui &c.

V. Requiescant in pace. R. Amen.

Aspergitur sepulchrum & circumstantes, & Pastor recedit.

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

**E**piscopi à Spiritu S. positi sunt regere Ecclesiam Dei, Apostolo.  
rum Successores & ministri facti Sacramenti Ordinis, in quorum  
Pontificalibus, Agendisque fusiùs quidem reperiuntur, quæ ad hoc  
Sacramentum spectant. Cum tamen Concil. Trident. præcipiat,  
ut ad minores Ordines promovendi, à Pastore, & à magistro scho-  
læ, in qua educantur, testimonium habeant, in Ecclesia etiam publi-  
cè propositis nōminibus eorum, qui promoveri ad Ordines volunt,  
de natalibus, ætate, moribus & vitâ diligenter inquiratur, & literæ  
testimoniales ipsam inquisitionem continent ad Episcopum trans-  
mittantur, atque hoc ipsum, exceptis Regularibus, de omnibus juxta  
declarat. sacræ Congregat. Cardin. ad Concil. Trident. sit intelligendum.  
Idcò è revisum fuit quædam ad eum finem, & ordi-  
nandorum instrunctionem, his quandoque opportunè à parochis  
communicanda, Cleri nostri ac publico bono subservientia hic in-  
serere, in reliquis verò, quæ de materia, forma, ministro, &c.

prior Agendorum liber complectebatur, ad Theolo-  
gorum moralium libros remittere.

Q 3

DE

# DE QUALITATIBUS ORDINANDO. RUM IN GENERE.

§. 1.

*De iis, qui primâ tonsurâ & quatuor minoribus sunt initiandi.*

**O**MNES ad Ecclesiasticos Ordines aspirantes sciant unumquemque à proprio Episcopo seu origine seu beneficii Ecclesiastici, seu domicilii in sua dioecesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente ibidem ordinari, aut literas dimissorias proprii sui Episcopi ad alium obtinere debere etiā pro prima tonsura; aliter ordinatum ab executione Ordinis jure ipso suspensum esse. Qui non est de legitimo matrimonio natus à susceptione primæ tonsuræ rejicitur, nisi propter bonam indolem, vitæ morumque probitatem & integritatem ita commendatus existat, ut cum ipso dispensemetur; legitimo autem thoro natus si sit sacri christiani unctione confirmatus, fidei Catholicae rudimenta edoctus, legendi & scribendi, etiam linguae latinæ peritus, de his requisitis, ac de vitæ morumque probitate & litteratura à proprio Parocho loci, ubi baptizatus fuit, & notabili tempore degit, testimonium habeat, ac testetur se non judicii sacerdotalis fugiendo causâ, sed ut Deo liberius serviat, primâ tonsurâ insigniri velle, eadē initietur. Ad minores Ordines promovendus non solum prædictus sit omnibus qualitatibus ad tonsuram requisitus, sit dioecesanus Episcopi ordinantis aut dimissoriis litteris munitus, lingua latinam intelligat, nec minor sit duodecim annis, bonū testimonium habeat à parocho, & magistro scholæ, in qua studuit, de vitæ probitate, doctrinâ, indole, & ingenio, talemque se præbeat, ut se non commoditatis suæ, sed Dei causâ ad Ordines aspirare credi possit.

§. 2.

*De sub- & diaconandis, ac presbyterandis.*

**C**onflit. **A**rchi-Ep. **1678. 10. Novemb.** **Q**ui verò ad Ordines majores se præsentare voluerint juxta Archi-Episcopalem nostram constitutionem, ne perversâ intentione aut temporalis emolumenti aut alimenti causâ potius, quam ut in Ecclesia Dei suam aliorumque salutem operentur, ad tam sanctum statum accendant, se sequē Deo obstringant tam arcta obligatione, diligenti examine in secessu apud religiosos homines solitariè perpendant,

pendant, num se ad sublime illud vitæ genus, divino nutu vocatos agnoscant, neque enim quisquam sumit honorem ( ut ait Apostolus ) sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron : Num etiam acceperint à Deo ea, quæ ad ministeria Ecclesiastica requirantur : quos enim vocavit , hos & idoneos fecit ministros novi testamenti. De quibus exercitiis in religiosa aliqua solitudine peractis, coram curiæ Archi- Episcopalis Sigillifero etiam titulos sive beneficiales sive patrimoniales vel pensionum fideliter & maturè exhibeant, non falsos seu fictitious, aliundè à Decanis, Pastoribus aut quibuscunque accommodatos, atque in Ecclesiæ fraudem emendicatos : qui tales accommodarint aut exhibuerint, præter multam pecuniariam pro arbitrio infligendam, poenæ suspensionis sint subjecti. Titulus patrimonii sit in instrumentum coram curiis locorum erectum cum accurata hypothecarum seu honorum descriptione redactus, valoris ad minimum sexaginta imperialis census. Ad hos Ordines assumendi cantum Gregorianum seu choralē calleant, ne muti in choro, aut mutis ob inconcinnitatem cantū detiniores reperiantur. Et ne domus Dei repleatur ignavis fucis, qui alieno melle deliciari, operæ autem, studii atque laboris nihil in commune bonum conferre volunt, tantque animarum Christi pretioso sanguine redemptarum latrones & homicidæ, qui fuerant admissi, ut essent fideles Pastores. Idcirco inhæremus antecitatæ nostræ, & Prædecessoris nostri CAROLI CASPARI saluberrimè ordinatæ constitutioni, ne ullus ad sacrum Subdiacanatus Ordinem ante absolutam Philosophiam promoveatur ; Ad Diaconatus vero & Presbyterii, nisi qui ad minimum biennio speculativæ aut moralis Theologiæ in Gymnasio quodam sedulò vacaverit, aut saltem de actuali tali studio biennali sub manu Professoris sui sufficientem fecerit notitiam, quod illud ante susceptionem sacerdotii absolvere possit.

§. 3. *De Populi suffragio ad obtainendos à Deo idoneos Ecclesiæ ministros.*

**J**Am indè ab initio nascientis Ecclesiæ ante ordinationes consuetas, preces & jejunia indicta fuisse novimus, in eum finem, ut cum ad utilitatem populi ac totius Ecclesiæ, ordinandorum electio disponatur, fidelis populus toto corde ad Deum convertatur, & impetrat, ut Episcopi, eorumque adjutores in examinandis, diligendis, & ordinandis Ecclesiæ ministris, officio suo ritè fungantur, & tales Deus in messem suam mittendos operarios subministret, qui ei secundum cor suum in omni sanctitate, & justitia , omnibus diebus vitæ suæ in munere suo fideliter ministrent: Idcirco Pastores Verbi Dei prædicatores Dominico die quamlibet ordinationem generalem proxime antecedente populum commonefaciant, ut ad prædictum finem jejunia quatuor temporum antiquissimis temporibus sancte instituta,

piè

piè observent, junctisque precibus suffragium suum diligenter impendant.

§. 4.

*Formula litterarum testimonialium à Parocho.*

Ego N. Pastor Ecclesiae S. N. oppidi aut pagi N. hujus diœcesis Trevirensis, denuntiavi in Ecclesia mea inter missarum solennia, seu durante divino officio N. ex parochia mea, qui ad ordinem N. promoveri cupit, & postulat, & de natalibus, de vita & moribus ipsius certior fieri curavi, eumque idoneum esse existimo, quantum ex cognitis intelligere potui, qui ad prædictum Ordinem admittatur, fidemque facio, illum saepius infra annum sacram confessionem, & communionem frequenter solitum esse. &c. In quorum fidem hoc testimonium mea manu subscripsi, & sigillo Ecclesiae meæ muniui. Datum &c.

Siverò aliquod impedimentum obesse videat, illud Episcopo ordinaturo significet.

**DE SACRAMENTO MATRIMONII.**

*Et primò de sponsalibus futuri conjugii.*

*Sponsalium Obligatio.*

**Q**uotidiana docet experientia, matrimonia temere, & præproperè contracta infinitas parere difficultates, & infelices sæpè exitus sortiri, idcirco recte ordinatum est, ut sponsalia (quæ futuri matrimonii promissionem, & reciprocam utriusque obli-